

Ioannes LANGHANNIUS to Ioannes DANTISCUS  
Heilsberg (Lidzbark Warmiński), 1541-05-11  
IDL 2425

Ceteri gratia Dei recte valemus, sed non omnes, unum enim desideramus Stobium. Hic post profectionem Vestrae Paternitatis Reverendissimae per quadriduum mensae socius factus, deinde tribus diebus sequentibus neque prandio, neque convivio sese reddidit. Cuius absentia cum nobis omnibus suspecta redderetur, nihil enim obsonii a coco acceperat neque a ianitoribus visus fuerat, neque fortiter pulsantibus quisquam aperiebat, coepimus de effringendis seris et ianuis capere consilium. Quibus patefactis dominus Thomas cum burgrabio ingressus, bonum Andream exanimem humi invenere iacentem.

Id cum mihi a burgrabio narraretur, fabulosum putabam, porro, ubi serio pergebat, fidem fecit, accurrunt cum plures, accurrebam et ego tam tristi spectaculo steteruntque comae, vox faucibus haesit. Ibi video cadaver, hominem iam non vidi. Positio corporis monstrabat eum non potionibus (nihil enim biberat), sed acerbis doloribus gravatum e lectulo cecidisse in terram, ibi diu lucta fractus (quod frusta a cruribus avulsa, quae scamno et lectuli pedibus cruenta adhaeserant, docere poterant). Cum nemo esset, qui iacentem erigeret, spiritum reddidit. Ego puto eum casu eo faciem sanguine foedasse in terra et, quoniam urinam reddere corpore fractus iliis scrotum intrantibus non poterat, obstruxerant enim meatus, vesica rupta, tumidis genitaliis, distento inflatoque corpore exspiravit II Mai.

Mirum, quod mihi aegritudinem sui corporis non detexerit, qui fueram illi multa familiaritate coniunctissimus. Sed interim totum ego Deo Iesu meo commendo, sine cuius voluntate ne folium quidem ab arbore cecidit umquam. Iusta illi honorifica persolvimus omnes. Cadaver, in ecclesia parochali Heilsberg tumulatum, in Christi pace requiescit, iudicii donec venerit illa dies. Sed in re lugubri non oportuit me tam esse verbosum. Cetera recte curantur.

Burgrabius hortum alta saepe cingit. Cementarii fabri murum testudine aequant. Cloaca sub coquina brevi restaurabitur. Si quid praeterea occurrerit, quod sollicitudinem nostram requirat, ne hanc quidem sumus neglecturi, in nullo magis sollicitiores, quam ut Deum oremus, ut Paternitatem Vestram Reverendissimam nobis in multos annos reddit incolumem. Quare optamus Paternitatem Vestram Reverendissimam semper bene valere.